

August Varenius    Matthaëus Gerhardi

**Breviarii Controversiarum post publicatam Formulam Concordiæ inter Theologos agitatarum Disputatio ...**

**9 : De 1. Deo condemnationem finaliter impiorum sive volente sive nolente. 2. Sensu apophthegmatis Servatoris: Multi sunt vocati, pauci Electi Matth. XIX. 30. XXII. 14. ...**

Rostochii: Kilius, 1672


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746186290>


Band (Druck)    Freier  Zugang




RU theol. 17. Febr. 1672

Varenius, Aug. /a







55

**B R E V I A R I I**  
**Controversiarum post publicatam FORMULAM**  
**CONCORDIÆ inter Theologos agitatarum.**  
**DISPUTATIO IX.**

D E

1. DEO condemnationem finaliter impiorum sive volente sive nolente.
2. Sensu apophthegmatis Servatoris: *Multi sunt vocati, pauci Electi* Matth. XIX. 30. XXII. 14.
3. Concursu gratiæ & voluntatis in conversione.
4. Voluntate sive operante sive cooperante.
5. Propositionibus: *In potestate hominis est, velle se convertere, vel non: & Homo si vult, potest se convertere.*
6. Dicto Dei Ezech. XXXVI. 27. *Ego faciam ut faciatis.*
7. Intentione AUGUSTINI primariâ in lib. de prædestinatione sanctorum.
8. De sententiâ Chemnitianâ: *Tres sunt cause bonæ actionis 1. Verbum Dei 2. Spiritus S. 3. voluntas humana.*
9. Loco Paulino I. Cor. IX. 27. *An exinde probetur, statuisse Paulum, se reprobum fieri posse, & de suâ ad eam electione ad salutem certum non fuisse?*

*Quam*

MODERATORE DEO

*qui efficit in nobis & ipsum VELLE, & ipsum AGERE, pro gratuita  
suâ benivolentiâ*

Consensu Venerandæ Facult. Theolog.

P R Æ S I D E

**AUGUSTO VARENIO, D. & Profefs.**

**Theologo, Sereniss. Ducum Mecklebl. Consistorii**

**Assessore p. t. Collegii Theol. DECANO.**

*publicæ collationi Academiæ d. XVII. Febr. a. O. R. c. l. o. l. c. LXXII.*

*hor. ab 8. matut. in AUDITORIO magno*

*summittet*


**M. MATTHÆUS GERHARDI, Sclaviâ Pom.**

**ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universitat is Typogr. 1672.**

1672

BREVIA  
CONCORDIA  
DISTRICTORUM

1. DEO...  
2. SEDE...  
3. ...  
4. ...  
5. ...  
6. ...  
7. ...  
8. ...  
9. ...  
10. ...



MODELL...  
AUGUSTO VARENO...  
MATTHEUS GERHARDI...

*Ad CLARISSIMUM*  
DN. M. MATTHÆUM GERHARDUM,  
Amicum jucundissimum,

**P**ost jam panta tibi sapientum templa serena  
Ingredieris sacrum, quod tibi constat, iter  
Post lauros nunc ad palmæ contendis honores  
Et gaudes patriâ tollere nomen humo  
Hoc opus, hic labor est, animos subducere terris  
Nec torum tumulto per sua fata regi.  
Sic tibi nunc bene res geritur! Sic perge GERHARDE  
Sic tua victuræ nomina sculpe cedro!

Augustus Varenius D.



**I**mpia cum Superis inferrent arma Gigantes  
Hos Nemesiis flammis exitioq; dabat.

Par igitur Socios Calvinii pœna manebit,

Queis sunt cum summo bella nefanda DEO.

Queisq; salutaris videtur GRATIA JOVÆ,

GRATIA, quâ nunquam gratior esse potest

Tu, sub VARENIO, verum defendis AMICE?

Laudo. VOS GRATOS GRATIA GRATA  
VOLET.

L. M. Q. scrib.

M. Johannes Mangel  
Rostochiensis.

*Versus*



\* \* \*

*Versus* darem, Amice,  
 Sed cum homines obdurata sint cervicis & lapidea  
 Nec se converti volunt,  
 Inverto stilum, & lapidariam pono.  
 Sic Lothi uxor, dum se vertit, vertitur in lapidem  
 Non secuta Angelos, illam trabentes;  
 Hic erat sapientia signum,  
 Qua ante pedes sunt, prospicere.  
 Invenies adhuc inversos homines,  
 De quibus vereor, ne vera ista Josephi Halli predictio fiat,  
 Roma verti potest, converti non potest;  
 De cujus tamen conversione non esset dubium,  
 Si Calviniana illa irresistenda valeret,  
 Omnes enim vult converti Deus.  
 Cave Calvos, & mecum ita judica,  
 Nemo simpliciter convertitur.  
 Resiste Asmodeo, non resiste Deo,  
 Sic fit conversio tota.  
 Tu quicumque malus,  
 Ni Te ad solem justitia, dum vita tua dies est, convertas,  
 Mox vespera mortis aderit  
 Sol Te in tenebris, Deus te voluntate justitiae suae relinquet,  
 Et ad gentes convertetur.  
 Tere, attere, contere cor saxeam, PETRAM meam,  
 Verte, converte me, bone Jesu, traxeris? ipse sequar  
 Converterem me jam ad laudes tuas  
 Clarissime GERHARDI  
 Nisi jam omnium in Te laudes & oculos convertisses  
 Et sub AUGUSTI PRÆSIDIS  
 Splendore triumphares

*l. m. g. scribebat*

Joan. Wilhelm. Peterßen, Lub.



## Articuli de PRÆDESTINATIONE

## SECTIO IX.

De

## VOLUNTATE JUSTITIÆ

quã Deus velit finaliter impœnitentium & incredulorum damnationem.

S. I.

**Q**uæsitum, de ipsã voluntate consequente, an vel hujus respectu rectè dicatur, Deum velle quorundam (s. reprobatorum) damnationem? & an Dei justitia in damnandis finaliter incredulis sit cum voluntate conjuncta? Tollendum est omne quæstionis õmni-volum. Scilicet, si sic explicetur quæstio, an Deus vel in ipso continuata finalis impœnitentia ultimo puncto, velit hominem impœnitentem finaliter perseverare, & sic claudere ultimum in hãc vitã diem? responderetur ex illo universali & quod semper ac sine exceptione puncti vitæ novissimi valet, axioma Davidico: Ps. IV. 5. לֹא יִחַפֵּץ רִשְׁעֵי אֱתֵרוֹ: negatur de DEO omnis, etiam permissiva improbitatis approbatio: & per hujus absolutam negationem, verus Deus, fortissimè opponitur *Elim terrestribus*, qui vel operando s. discernendo, suffragando, vel saltem pravè permit-tendo, *approbant iniquitatem*, vel (2) si sic informeretur: *An DEUS voluntate, quam Bonaventura appellat secundam, Chryso-stomus & Damascenus consequentem, damnans, in ipso damnationis instanti, optet vel desideret talem hominis mortem s. damnationem?* Respond. iterum Negando. Deus, Ezech. XXXIII. II. non solum clarissimè pronunciat: sed & jurat per vitam, se nolle mortem nec solum in *sensu diviso* s. mortem nunc impii, deinceps autem pœnitentiam acturi: sed & in *sensu composito* הַרְשַׁע הַמֵּת s. *impii*, in ipso improbitatis actu finali, *morientis* vel *jam mortui* vid.

B b

etiam

etiã c. XLIX. 32. Nec solùm sanctissimè jurat, se mortem impii nolle: sed & jurat se ejus conversionem s. vitam velle: nec hoc solùm: sed & illorum respectu, juramento subjungit vocationis cœlestis imperativum duplicatum: *Revertimini, revertimini à vis vestris pessimis!* & illud patheticum: *cur moriemini domus Israël?* Hactenus ergò concludendum 1. Deum nullius impii mortem & dœmnia absolutà velle, & conversionem ac vitam s. salutem nolle s. non velle. 2. Deum voluntate antecedente & hâc non solùm & apostas, s. complacentia resp. præcepti, signi: sed & dœmonias s. decreti & beneplaciti, & adeò in se efficaci, etsi non absolutâ: sed ordinata, seriò velle & ut impius non moriatur, & ut convertatur ac vivat.

§. 2. Et hucusque quidem res liquida est. Quæritur autem, an quatenus, in actu voluntatis consequentis vel judicii & reprobationis, Deo obijciuntur *in unigenitum Filium* perseveranter vel finaliter *non credentes* & contumaciter *Spiritui S. resistentes, tenebras magis, quàm lucem diligentes*, horum respectu Deus dici possit, *velle illorum mortem seu damnationem?* quod omninò, sine ullâ in Deo voluntatis repugnantia affirmandum (1) si enim Deus infideles & contumaces condemnat, & decrevit damnare, omninò sub illo respectu consideratos vult quoque condemnare, etsi etiam tunc ubi vult illos condemnare, & condemnat, mallet illos credidisse & non condemnari, planè prout pater sceleratum filium exhæredans, etsi mallet talem non esse, qui causam det exhæredationi, & sic exhæredatur, tamen ex hypothesi talis causæ, & vult exhæredare, & volens exhæredat (2) sic DOMINUS ad cœnam magnam vocat multos: *mittit servos, invitat blandissimè: Venite, quia jam parata sunt omnia!* Vult adeò seriò omnes venire & cœnare. Ubi autem præfractè recusant, iratus paterfamilias dicit: *Nemo virorum illorum, qui vocati fuerant, gustaturus est cœnam meam* Luc. XIV. 24. Et sic vel maximè apparet, quomodo Deus non possit frustrari omni suo fine. Idem enim

enim

enim qui vult, ut convertantur & sic vivant, vult quoque ut qui non convertuntur, damnentur & æternum exitium experiantur (3). Nec locus I. Sam. 2. 25. ubi de Filiis Eli dicitur: *Volebat DOMINUS morte afficere eos*, agit ex hypothesi *finalis Filiorum Eli impatientia* (nec enim aliter de illis præsumere licet) de solâ *morte corporali* à condemnatione abstractâ, vel solâ vitæ temporalis abbreviaturâ: sed omninò, pro naturâ comminationum legalium, de morte quoque aternâ: nec (4) locus Prov. I. 26. explicandus de *risu sic admiratorio*, ut planè opponatur (in voluntate consequente) *voluntario*, & sit merè *voluntarius*, sic ut inde probetur: *Deum planè nolenter impium finaliter per justitiam condemnare*. Licet autem *denotius* vocabulum magis videatur convenire voluntati salvandi, quàm damnandi, tamen nec hæc planè, est deneganda *Deo irato reprobanti*, Conf. Matth. XI. 26. Quin (5) præter illa evidentiâ loca, facit pro thesi illud Pauli de Deo dictum: **QUOS VULT, INDURAT**. Rom. 9. 18. sed & (6) *Justitia Dei nihil aliud est, quàm voluntas Dei justissima*. Quod enim Deus vult est justum, & contra. Si ergò *justitia Dei datur in incredulis damnandis*. E. & voluntas. (7) *Ipsa Formula Concordiæ sic loquitur p. 808. Deus decrevit, quod eos qui Spiritui S resistunt, & obstinati in eâ contumaciâ perseverant, indurare, reprobare & aeternæ damnationi destinare* **VELIT**. Conf. quoque p. 820. Deus eos, qui Spiritum gratiæ contumeliâ afficiunt severissimè punire **VULT**: ut adeò contradictorium, tum in **HUBERO** nullam planè in damnatione **DEI** voluntatem & decretum admittente, vid. Apol. Germ. Conf. p. 226. & 228. tum in **Finkio** anno hujus seculi XI, sic dogmatizante, justè fuerit improbatum.

§. 3. Frustra objicitur 1. *Actus ille, quo quis volens dicitur velle hominis damnationem, convenit cum malo, est proprius Diabolo. E. non est tribuendus Deo*, 2. *Si Deus vult finem, (condemnationem)*

vult etiam media (peccata) 3. Voluptas, quâ quis vult damnum amati, repugnat sincera & summa illi adeò decantata *Φιλαρωθωπία Dei*. 4. Damnatio est contra propositum & consilium divinum. E. non est voluntatis, Dei volentis. 5. Conversio impiorum est & de remotione ejus, quod est contra voluntatem Dei, & de impletione ejus, quod est juxta voluntatem. E. Deus non habet voluntatem damnandi. 6. Si Deus volens impium damnat. E. Deus ipse in puniendo facit impium. Præterquam enim, quod illud *ἀμφίβολον* de Deo volente velle damnationem, quippe insonans auribus non solam voluntatem concomitantem s. consequentem: sed & antecedentem (unde insignis ignoratio Elenchi, cum pro ut Deus, ut Pater, affligens, licet volens, ubi affligit, affligat, ubi (e. c. Jobum) castigat, tamen ordinariè non per vel propter solam voluntatem affligit, vel castigat: quo sensu dicitur in Threnis c. III 33. illud: *לֹא עָנָה מַלְכוֹ* Non affligit vel mæstitiâ afficit homines ex animo suo & in Isaiâ c. LXIII. 9. *כָּל צָרָה לֹא צָרָה* i. e. juxta princeps *קָר*: In omni angustia illorum, ipsi Deo angustia erat, sic ut hic commendentur *σπλαγχνά ἐλέους* Dei nostri: Ita nec, ubi ex hypothese prævisæ finalis *σκληροκαρδίας* durum, volens, alto judicii sui modo, reprobat, indurat, condemnat, vel ut antecedenter & absolutè volens reprobat, indurat, condemnat, sed, ut consideratum ex hypothese voluntariæ & affectatæ impœnitentiæ, sic volens reprobat, indurat, condemnat, ut supponatur nihilominus in Deo seria voluntas & desiderium pœnitentiæ, & per hanc vitæ, atque adeò voluntas impœnitentiæ finalis, & ipsius impii mortis) satis est dicere: Deum, ubi reprobat, damnat, velle reprobare, damnare, nec aliter tandem ex hypothese essentialis justitiæ, & propositi s. irrtractabilis decreti Evangelici posse: distinguendus hic erat diversus unius ejusdemq; simplicissimæ voluntatis, objectorum ratione, & diversus quoque impietatis in impio, respectus: nec subalternanda, habenda pro  
contra-

contrariis, nec impulsus justitiæ divinæ in impiorum perseveranter vel finaliter impœnitentium, justissimâ damnatione, abstrahendus erat ab omni actu voluntatis divinæ.

§. 4. His generaliter suppositis resp. ad I. Lim. *Actus conveniens* (cum malo culpæ, vel: Cum malo pœnæ) *malus est & non convenit Deo*. Priori ratione, concessâ majore, negatur minor: posteriori ratione, concessâ minore, negatur major. Actus Diaboli volentis hominem manere filium iræ, est actus volentis malum culpæ, ad quod non possit non sequi malum pœnæ. Actus Dei volentis, non impiorum contumaciam: sed impiorum finaliter contumacium, finalem pœnam vel damnationem est actus conveniens cum malo pœnæ & adeo malus non est: prout actus judicis conveniens cum malo pœnæ e. c. homicidæ occisione, furis suspensione, per se malus nō est. Et circulus contradictori<sup>9</sup> est dicere: Deum impium damnare sic exigente justitiâ, imò etiam sic impellente justitiâ, velle damnare: & tamen, Deum damnare impiū, sic ut non sit volens volendo: sed omninō & universaliter nolens. Resp. ad II. Qui vult finem sub propriâ ratione finis & ordine intentionis practicæ, is quoq; vult media ad finem: sic concessâ majore, falsa minor: sc. quod Deus pro ratione judicis, resp. justitiæ s. pœnæ judicialiter infligendæ condemnationem, velit sub propriâ ratione finis, & ordine talis intentionis, unde jam N. C. E. Deus vult media talem finem causantia, Tale velle pœnæ dari potest, sine voluntate mediorum, quippe à quibus jam præscitis vel in actu positis dependet, nec ad media illa se habet antecedenter ratione intentionis: sed consequenter. Sic Judex furem in actu furti jam positum, vult suspendi: non tamen vult ipsum furtum. Vel Distingv. inter Media propria ac per se ad propriam finem ordinata, & media, quæ per accidens consequitur impropriè finis, ab alienâ virtute dependens. Ibi valet Canon: hîc non valet: sed prout, qui hîc vult media, potest

est non velle finem (e. c. fur, suspensionem) ita potest hic alter (e. c. Judex) velle finem (suspensionem) & non media (furtum) quod si tamen in exemplo præsentis propria media, per se ad talē finem ordinata attenduntur, iterum facile conceditur: sed tunc media ponenda sunt pœnalia, non criminalia: quia finis non criminalis: sed pœnalis & impropriè sic dictus est: quomodo e. c. Judex volens facinosum suspendi, vult etiam media vel instrumenta suspendii adhiberi: Deus condemnaturus, vult etiā sententiam damnationis intimari, & certo ordine executioni dari.

§. 5. Resp. ad III. Confunditur in unâ eademque voluntate distinguendus respectus justitiæ & misericordiæ, & opponitur non opponendum: sc. Deus amans impium, odioque habens, & Deus volens impium salvum & volens impium damnatum. Propter diversum sc. respectum nulla hic realis oppositio. Valet argumentum de voluntate damnandi absoluta, quæ repugnat summo amori, & huic quidem æquè absoluto, sine ullo odii respectu. Contra, prout amor ille Dei verus, non fallax, non absolutus est: sed ordinatus: ita & voluntas. Valet item de misericorde & universali voluntate, secundum quam Deus seriò vult omnium impiorum, exceptâ finali impœnitentiâ talium, salutem, & sic Deus totum mundum i. e. Omnes omninò peccatores seriò in Christo dilexit Joh. III, 16. Ita Rex bonus amat omnes subditos vero & non fucato amore, ordinato tamen sc. ut ad præscriptum legum vivant, prout, si præfractè rebellionem opponant, eosdem, quos ut subditos amat, ut rebelles volens punit, & vel extremo supplicio afficit.

§. 6. Resp. ad IV. Propositum justitiæ non est opponendum proposito misericordiæ: sed diverso objecti respectu subordinandū. Damnatio est contra effectum intencum in proposito dilectionis sc. misericordiæ: at non contra propositum justitiæ sc. illud temperatum Evangelicum, cujus summa: O: finaliter credens

dens, servabitur & adeo, O. non credens condemnabitur. Et Deus quidem, etiam ubi damnat, mallet juxta illud propositum, homines tales esse, quos servaret: ceterum, quatenus hi considerantur *ἐν τῷ ἐκείνῳ τῷ ἀποδείξει* s. in illis instantibus finalis incredulitatis, & damnat, &, ut Judex, volens damnat, imò sic, ut ex hypothesi talis perseverantiæ, ordinariè non possit non per justitiam condemnare. Hinc Deus in exitio impiorum ridere & illos subsannare dicitur Prov. I. 26. 27. Deut. XXIX. 18. 20.

§. 7. Resp. ad V. Neg. Conseq. *Deus vult conversionem. E. nullo respectu vult mortem impiorum.* Diversus impiorum respectus excludit hinc oppositionem. Resp. ad VI. Nullâ Dei voluntate (nisi non per miraculum impediendi) fit impius: sed qui jam solâ suâ & Diaboli voluntate talis est, à Deo, sic quidem justitiâ exigente: sed & propter justitiam, volente, punitur impius. Aliud est, Deum volentem damnare: aliud, damnare propter solam voluntatem.

§. 8. Frustra objicitur locus Joh. III. 16. 17. Non misit Deus filium suum in mundum ut damnet mundum: sed ut servetur mundus per eum. Nec enim amplius quid inde probatur, quàm finem intentum in consilio redemptionis & missionis Filii unigeniti fuisse nō mundi damnationem: sed servationem. A negatione autem talis intentionis & volitionis damnandi in voluntate antecedente, extra respectum novæ incredulitatis, fidei justificanti perseveranter oppositæ, ad negationem omnis volitionis damnandi, etiam supposito jam respectu finalis incredulitatis, in voluntate consequenti, non V. C. Prout non obstante universali intentione non damnandi, sed servandi, quidam servantur, quidam, & longè plurimi, damnantur: ita non obstante ibi universali voluntate servandi, quidam sc. postquam *lux venit in mundum*, nihilominus *deligentes plus tenebras, quam lucem*, odio habentes *lucem*, atq; inde *non credentes in nomen unigeniti Filii Dei*, non sine  
ju di-



judiciariâ Dei voluntate, & adeò non Deo nolente: sed justè volente damnantur.

§. 9. Frustra objicitur, Deus gaudens de Conversione impiorum, & parabolæ illæ de Filio perduto, de denario reperto, de ove errante Luc. toto cap. XV. Licebat enim loco *de Deo gaudente in conversione impiorum*, opponere Deum *videntem in interitu impiorum*. Prov. I. 26. Conciliandum igitur utrumq; erit. Illi de quorum conversione gaudet, non sunt impii finaliter impœnitentes s. increduli: sed qui convertuntur & vivunt. At ridet impœnitentes, feroces, & finaliter rebelles, conf. l. alleg. Diversus ergò respectus. Nec oppositio ulla vel contradictio in his propositionibus. Deus nō vult mortem impiorum, sed gaudet de conversione impiorū. Et, Deus voluntate consequente perseveranter impœnitentes volens damnat. Eadem ratio locorum, in quibus Christus tristari dicitur de damnatione impiorum, testibus lacrimis ad prædictionem excidii Hierosolymitani effusis. Confunditur enim, in unâ eademque voluntate respectus misericordiæ & respectus justitiæ. Scil. tristitia illa & lacrymæ ad illum pertinent, prout risus Dei in exitio impiorum ad hunc s. ad actum justitiæ. De quo quis contristatur, id (illo respectu, quo contristatur) non vult: quin quod vult & non potest non velle, respectu justitiæ, ex hypothesi finalis impœnitentiæ, illud ipsi est quasi contristabile & lacrymabile resp. affectus misericordiæ. Prout Judex mallet fontem non dari, & sic se ad supplicia decernenda non impelli: ubi tñ. datur, cui supplicium dictandum, in eodem actu verè & potest miserari hominis miseriam, & velle pœnam, inq; eodem actu & potest esse quod illi resp. miseri hominis est contristabile, & quod (respectu legis divinæ pœnam talem dictantis, ipsiusque justitiæ) illi est sanctè volibile. Ita ad locum Ezech. XXXIII. II. respondendum: *Deus jurat se nolle mortem impii*, voluntate antecedente, non positivè absolutâ: sed ordinatâ: sic ut non pugnent

nent loca, quæ describunt Deum voluntate conseq. judicialiter volentem, qualis præter superiora, Rom. 9. 22. ubi de *Vasis præcō- pactis ad meritū* dicitur: *DEUS VOLENS ostendere iram*. Salva unio essentialis divinæ voluntatis simplicitate, ipsa volitio divina distinguenda tum subjectivè, tum objectivè, pro ratione diversi objecti formalis, quæ illius distinctionis fundamentum est: Unde de eodem Deo, & *non velle*, & *velle*, citra contradictionem, prædicatur. Sed & à negatione *ἡμῶν* s. beneplaciti, delitii, ad negationem omnis veræ volitionis non V. C. Et ipsa mors impij causaliter s. criminaliter considerata, Deo semper displicet.

§. 10. Quæsitum de illo aureolo Servatoris: *Multi sunt vocati, pauci Electi*, cum non Huberus solùm, sic universalis Electionis defensor, ut in ipsâ explicatione sustulerit particularem: sed & alii, qui salvâ particularitate Electionis (resp. subjecti vel objecti adæquati) defensores fuerunt vel assertores electionis (antecedenter, & causaliter respectu divinæ voluntatis, promissionis, meriti Christi, & in oppositione ad eò Calvinianorum absolutæ particularis) universalis, sive dubitaverint, sive negaverint, notari ibi voce *ἐκλεκτῶν electionem ad vitam eternam*: nec ad eò ex illo apophthegmate Servatoris Matth. XX. 26. oppugnari satis solidè Electionem universalem. Sanè argumentum hoc, ut & alterum, quod ex Grammaticâ petitur, sc. *ipso eorum vocabuli ELECTIONIS segregationem & separationem à reliquâ multitudine* significari, & electionem absque reprobatione non dari, ex professo olim labefactare conatus est Mylius. Philippus quoque in expl. Evang. retulit ad operarios in vineâ probos, fideles, industrios, *Rechtshaffene / ohn Heuchelei*. Quin ipse Lutherus in homil. Dom. Septuages. non ad prædestinationem illam salvandorum, retulit: sed ad fidem, pietatem & constantiam eorum qui vocantur: cum ex vocatis etiam pauci tales se præstent, ut Deo placeant. Præstat autem

C c

omniñò

omnino ad Electionem illam salvandorum referre, sic ut qualis in explicatâ parabola voce κλητῶν notatur vocatio, talis etiam in voce ἐκλεκτῶν electio, atque sic termini sumantur, prout alibi in *prædestinationis* negotio, ubi *vocationis* describitur universalitas, Electionis autem particularitas. Facit pro illo, præter ipsum *primarium parabolæ de vineâ scopum*, iteratio illius epiphonematis in clausulâ alterius parabolæ Matth. XXII. 14. & ibidem parabolæ applicatio & scopus: nec minus evidenter *parallela loca* Matth. XXIV. 22. Marc. XIII. 20. ubi & vox ἐκλεκτῶν statim explicatur per οὓς ἐξελέξατο Matth. 14. 24. 31. Marci 13. 12. 27. Rom. 8. 33. unde non solum alii magno numero Theologi: sed & ipse *Lutherus*, alibi de *eternâ Filiorum Dei ad vitam æternam electione*, quin illi ipsi *universalis electionis* defensores, tandem de *solis vocationem gratiæ salutiferam in Evangelio Christi oblatam, verâ fide amplectentibus, ac fidem & bonam conscientiam retinentibus* interpretati sunt vel certè intellexerunt.

§. II. Occasione Dogmatis de omnipræsentia humanitatis Christi, & certaminis Huberiani, dum asperatis Theologorum animis (prout fieri solet) alter alterius non tuberum solum sed & verrucarum rigorosus fuit observator, auctæ illis jam inde ab anno 1583. adusque præsens seculum controversiæ domesticæ. Post editam enim inter Svevicas & Saxonicas Ecclesias CONCORDIAM, & paucis post annis, autoritate 3. Electorum secularium publicatam, contra Adversariorum calumnias, CONCORDIÆ illius Apologiam Erfurtinam, defensamque in utraque illam humanitatis Christi omnipræsentiam, cum pro dogmate hoc, eâ, quâ in Apologia docendi ratio præscripta, & ne vel in excessu vel defectu peccaretur, circumscripta s. limitata erat, methodo, *παραρησιαστικῶς*, salvâ mysterii eminentiâ, docentes & contra hostes Majestatis militantes, ostenderent Theologi Svevi & Saxonix superioris: contra, ex inferioris Saxonix

Theo-

Theologis quidam, etsi Uni illi Formulæ Concordiæ, corde manuque, ipso Deo teste invocato, sine exceptione, paulo antea subscripserant, in uno illo doctrinæ capite resilirent ac in conventu Quedlinburgensi, anno 1583. Apologiæ natali, expunctionem illius dogmatis, & in primis illorum quæ ex Confess. majori de Cœn. Dom. aliisque Lutheri testimoniis, in Formulâ Concord. s. solid. declarat. art. de Cœn. Dom. p. 753. 754. 755. & in art. de pers. Christi p. 784. 785. 786. serò nimis & post festum frustra postularent, eademq; non impetratâ durissimè in illud omnipræsentia dogma sub generalis (prout appellarunt) ubiquitatis Nomine, ipsamque Apologiam scriberent, alii autem inferioris Saxonie Theologorum in hoc capite iudicium suspensuri ad <sup>1592</sup> confugerent, iteratæ Confessionis Saxonice inferioris formulæ de anno 1571. ab Ecclesiis Brunsv. Lunæb. Mekleb. Lubec. Hamb. Halberstad. Hallens. subscriptæ, etsi hæc non contrariatur CONCORDIÆ Formulæ, quoad literam in hæc furos se protestati, factum inde, ut, accedentibus in primis Calvinianorum, de horum cum suis Ecclesiis consensu, triumphis, de Calvinismo suspicionem apud illos hi incurrerent, & hi, Crypto-Calvinismi suspicionem non laturos, contra in illorum scriptis vel ipsas festucas s. verrucas accuratius observarent. Intravit paucis deinceps annis a. 1592. ex Helvetiâ Wittebergam Theologus, haud fausto Ecclesiæ consilio, vocatus, qui cum alio, quàm quo ante F. Concord. anno 1576. Torgæ, AUGUSTI Electoris primariâ autoritate adornatam, celeberrimi Theologi, absoluto Calvinianorum in prædestinatione decreto contradicturi Universalem prædestinationem defenderant, sensu, ipsi Formulæ Concordiæ planè contrario, *Universalem Electionem* propugnaret, & sic ut sinceros A. Conf. Theologos, particularis electionis, suppositis universalibus gratiæ, meriti Christi, vocationis, sericæ voluntatis, defensores, Calvinismi nomine traduce-

ret, quin & ex inferioris Saxoniae Theologis quibusdam ingenti Orthodoxiae simulatione, in ipsa phrasi: sed sensu horum meliore, consensum extorqueret, id effecit ut ex Saxoniae superioris Theologis quidam Syncretismum illum Huberianum interpretati, duriusculè in hos, ex superiori argumento omnipraesentiae, sibi invisos, scriberent, & hi contra, tum in Electionis argumento, tum aliis articulis, illorum, ὀρθοδοξίαν, pari censurâ in dubium vocarent.

§. 12. Gratulandum nihilominus & Ecclesiae est & ipsi libro Concordiae, quod & in dogmate Huberiano, nec Theologorum facilè quisquam (necum Ecclesiarum A. Confess. ulla) in partes turbantis HUBERI quoad ejusdem erroneos sensus concesserit, nec in altero Omnipraesentiae dogmate variationis vel expunctionis calamitatè ipse liber Concordiae senserit, cum non solum Sveviae & Saxoniae superioris Ecclesiae in fide libri CONCORDIAE, etiam quoad dogma Omnipraesentiae Christi in statu exaltationis secundum utramque naturam, perseveraverint, & quotquot ex inferioris Saxoniae celeberrimis Theologis alieniores hic aliquando fuerunt, salvâ illis & sanctâ libri CONCORDIAE Symbolicâ autoritate, sive crassiorem illam, Ubiquitatis (quam vocant) potiùs, quàm omnipraesentiae Christi ut hominis dogma Symbolicum oppugnaverint, (quod ex Heshusii Epistolâ ad Abbatem Bergensem & ejusdem Confess. de Form. Concord. & iteratâ fidei Ecclesiarum Saxon. confessione d. anno 1571. tit. de ubiquitate constat) sive in hoc omnipraesentiae dogmate, sine hujus vel improbatione vel damnatione, judicium suspenderit, tantumque absit ut integræ quaedam Ecclesiae CONCORDIAE librum, postquam semel subscripserant vel illû admiserant, planè rejecerint, ut potiùs longè plurimæ etiâ extra Germaniam, illum, sive velut Symbolum, sive pulcherrimum caelestis veritatis compendium receperint, ac hoc ipso & Pontificiis

ficiis & Calvinianis magnam de discordiâ Symbolicâ nostrorum triumphorum materiam interceperint, nec appareat quoque, quid tanti emolumenti ex illâ discordiâ ad Calvinianos non omnipræsentiâ solùm: sed & ab omnibus Aug. Confess. invariata sociis sincerè creditam defensamque multipræsentiâ Christi secundum humanitatem (e. c. in Ecclesiâ in S. Cœnâ his interris celebratâ) pari vehementiâ negantes, per venerit. Sanè quibz articulus fidei est: *Deo cum omni suâ potentiâ impossibile esse, perficere, ut unum corpus, in pluribus, quàm in uno simul sit loco, illis non minùs intestabiles erunt Confessores voluntariæ (ex hypothesi institutionis & promissionis) præsentia, quàm & voluntariæ & necessariæ (ex hypothesi superexaltationis) omnipræsentiæ: unde & Zvinglius in disputatione cum Lutero de hoc argumento, apertè olim professus est, si Lutherus monstrare posset, corpus Christi simul & semel in duobus saltem aut tribus locis esse, se ultrò concessurum, idem etiam ubique esse, eò quod pariter absurda sint, & in duobus aut tribus locis, & in omnibus locis esse. Hac enim unius Dei sic esse propria, ut nulli creatura communicari possint.*

§. 13. Notavimus jam supra, quæ hâc occasione in Hunnio inprimis & Mylio à quibusdam Theologis, & in his ab illis notata e. c. de negatione præsentia Christi secundum humanitatem universalis toto tempore exinanitionis, de suspensione omnis præsentia modificata Christi secundum humanitatem in terrâ, sive à liberâ voluntate, sive resp. unionis hypostatica, & exaltationis supposita, necessitate, de electione s. prædestinatione hominum ad fidem, de fide sive causâ sive effectu electionis, de omnibus credentibus electis, quin longè plura tunc mota, vel alteri parti occasione illius collisionis objecta, constabunt infra. Redimus nunc in viam, & ad arduam de conversione Hominis materiam. In quâ, quoad rem ipsam, luculentam agnoscere licet non Ecclesiarum solùm nostrarum: sed

& Theologorum A. Confessionis, & cum ipsâ A. Confess. *animali homini* non imperfectam, semiplenam, (ita ut oblata gratiâ præveniente, vel concurrente possit & ipse suis illis modiculis viribus concurrere) *sed nullam vim sine Spiritu S. efficiendâ justitiâ Dei (s. justitiâ spiritualis)* concedente art. 18. & cum Apolog. in art. 18. p. 217. 218. 219. cum Artic. Smalcald. part. 3. art. 1. p. 318. Catech. Luth. minore in art. Symb. 3. p. 371. 372. majore p. 496. & seq. Formulâ Concord. in Epitom. p. 579. adusque 583. in solid. declar. p. 655. adusque 676 in thesi, & antithesi ibid. p. 677. 678. 679. consonantiam. *Credunt sc. docentur & consententur*: Hominis nondum renati *ψυχῆ* arbitrium in spiritualibus strictè sic dictis totaliter esse mortuum, omnibusq; ad sui conversionem viribus privatum: hominem non renatum in peccatis non *ἡμιθνή* (*semimortuum*), qualis ille in Parabolâ Luc. 10. 30. præsentis causæ malè contraque scopum Servatoris vid. v. 29. 36. applicatus) *sed ὄλοθνή* (*planè mortuum*, & planè Deo cadaver graveolentissimum, quale illud Lazari Joh. 11. 39. Eph. 2. 1. 4. 5. 6.) Non solùm, quoad negationem activitatis ad sui conversionem habere instar trunci: sed & inferiorem vel obstinatioem trunco, qui & naturaliter & morosè reluctatur & totus servus peccati, Deo prorsus rebellis est: Hominem à gratiâ Spiritus S. præveniri, & *unicè* ab hac gratiâ præveniente, præparante, excitante, voluntatem ad bonum spirituale penitus mortuam, sine ullâ salutari cooperatione, objecti, excitari, solisque sic gratiæ viribus liberatum pariter ac liberum reddi.

§. 14. Quisquis hoc sincerè credit, nec Pelagianus est, nec semi-Pelagianus, sive quales olim ætate Augustini quidam Massilienses, & deinceps Scholastici ac Pontificii, sive quales superiori seculo Synergistæ, ex quibus, post Pelagium omnia *ad-scribentem naturæ*, illi, ipsum initium naturæ, incrementum, autem (bonæ voluntatis, fidei, dilectionis) gratiæ, huius initium gratiæ, adiutorium autem & cooperationem ex PROPRIIS VIRIBUS

RIBUS tribuerunt naturæ, ut inter hos & illos, quoad reliquias naturalium virium in spiritualibus, & in illo MODICULO Erasmi consensus fuerit: nec in actu signato: sed tantum in actu exercito, quoad ordinem operationis discrimen, dum juxta illos in ipso exercitio spiritualium motuum s. conversionis, natura antevortit gratiam: juxta hos, gratia naturam. Vid. Form. Concord. in Epit. de lib. arbitr. p. 588. & solida declarat. p. 677. ubi accuratè illorum per classes certas, errores discernuntur. Unde & Augustinus ipse, & in retractatione propriarum sententiarum (e. c. *Fidem, quâ in Deum credimus, non esse donum Dei: sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter & piè & justè vivamus in hoc seculo: fidem non præveniri Dei gratiâ, nisi quatenus fides prærequirit præconium veritatis, cui consentire nostrum sit proprium, & sic in nobis, ut & ex nobis: hominem propriis viribus posse velle, posse credere, & Deum, quem sic sibi crediturum præciverit, ipsum elegisse, cui Spiritum S. daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur*) & in refutatione illorum, (quos Fratres nihilominus appellat) Massiliensium, satis habuit ad declinandas Pelagianas semitas, obtinere, ut credant, non solum fidei, & omnis bonæ cogitationis incrementum, vel supplementum: sed ipsam bonæ voluntatis, cogitationis, fidei ceptum s. initium, Unius gratiæ esse donum, qui proinde id agit, ut extirpet omnem præcedentium gratiæ Dei humanorum assertionem meritorum, quod dum princeps illi thema fuit, prout, quando antea contra Manichæos disputans ad latus Pelagianum in materiâ de prædestinatione & libero arbitrio vehementer inclinavit: ita in questionibus quibusdam incidentibus, dum Pelagianas, pro Gratiâ vehementer disputans, procellas, horrescit, oppositum premedo litus iniquum, in modificatione illius gratiæ velut irresistibilis & absolutè particularis, illa reliquit, quæ pro Calvinismo, & sub ipsâ gratiâ, dum sic prædestinatis gratiam Dei s. dilectionem



nem Dei per Spiritum S. gratis infundi, docet, ut ab illo adju-  
 Deum & proximum diligere & legem Dei implere possint, & vi-  
 tam æternam mereantur, illa in justificationis articulo intersper-  
 sit, quæ Pontificiorum Tridentinorum doctrinæ ( abstractâ ta-  
 men hypothesi Scholasticorum Pontificiorum, sive Pelagianâ, si-  
 ve saltem semipelagiana ) militare videri poterant, nisi & ex re-  
 spectu ad principalem scopum & ex locis aliis longè plurimis  
 c. c. in enarratione Psalmorum, excusandus, sive vindicandus  
 foret, Conf. idem libb. de prædest. sanct. de prædest. & grat. de Spi-  
 ritu & literâ.

§. 15. Hæc ergo fide Catholicâ suppositâ, quæsitum,  
 utrum sanis sermonibus Theologicis consonet hæc formula?  
*Voluntatem per gratiam prævenientem, præparantem, excitantem, ex-  
 citatam & præparatam, liberè, etsi unicè per vires supernaturales exci-  
 tantis gratia cooperari ad progressum & consumationem conversionis,  
 atque aded in ipsius arbitrio excitato esse differentiam illam, ut possit,  
 etsi unicè per vires gratia, se convertere, si velit, vel, non convertere?*  
 cui velut erranti, opposita est altera ceu orthodoxa: *Homi-  
 nem se merè passivè habere in actu productionis primæ conversionis à  
 primâ Spiritus S gratiâ, cui etiam non initium modò: sed & pro-  
 gressus, & consumatio conversionis primæ, soli, in rotum accepta-  
 ferenda sint, ita ut voluntas humana, ne tantillum quidem coopera-  
 tionis ad sui conversionem conferat. Ubi autem Spiritus S. opus  
 illud solâ suâ gratiâ, non tamen sine mediis, produxit in homine, ceu  
 subjecto merè passivo, tunc credi voluntatem humanam liberam,  
 ad cooperandum Spiritui S. in producendo opere renovationis & san-  
 ctificationis. Epicrisin Theologicam paucis includimus aphori-  
 smis.*

§. 16. I. Terminus conversionis vel *strictissime* sumitur  
 (quatenus notat ipsam operationem S. Spiritus, hominis non re-  
 geniti immutationem & translationem è statu peccati in statum  
 fidei

fidei operantis præcisè & merè activè consideratam ) *vel strictè* ( quatenus connotat illius operationis S. Spiritus obtentionem, & ipsius *cordis ex lapideo in carneum*, totiusque adeò hominis in intellectu & utroque appetitu immutationem, quæ passiva conversio includit pœnitentiam vel *latè s. in ampliacione*, ( quatenus non solum illam *mutationem & translationem*: sed & illâ utraque suppositâ, *regenerationem & vivificationem*, non solum illo sensu, quo hæc duo vocabula in Apologiâ Augustanæ Confessionis, sæpè multumq; pro vocabulo *justificationis s. solâ peccatorum remissione, & in Filios Dei adoptione*: sed & in ipsâ Formulâ Concordiæ de hominis & *justificatione & renovatione*, vel etiam, illâ & peccatorum adeò remissione suppositâ, de solâ hæc quæ fidei justificationem sequitur, sanctificatione, seu *renovatione*, usurpantur & intelliguntur conf. F. C. in Epitom. art. III. in affirmativâ n. 5. art. VI. in aff. n. 3. in solid. declarat. art. III. de iustific. p. 686. usurpantur, includit) In suppositione 1. *facultas*, quæ & *in libertate*, & *cooperatione vel operatione* supponitur, & ipsa adeò *libertas* in spiritualibus ( tum illa, quæ, opposita *necessitati* quoad *speciem actus s. specificationem*, dicitur *contrarietatis*, tum altera, quæ *necessitati quoad exercitium* opposita, *libertas* appellatur *contradictionis*) omnisque cooperatio excluditur. In 2. & *facultas* & operandi *libertas* introducitur, ac simul ipse justificationis actus in instanti perficitur. In 3. arbitrium, jam per gratiâ *liberatum* & sic liberum, per acceptas supernè vires *operatur*, s. quod idè est, homo justificatus, vivificatus, regenitus, *facultate supernaturali* in instanti ). & 2 & nova adeò planeque aliâ, quoad *speciem libertate*, cum quoad *specificationem*, tum quoad *exercitium*, jâ donatus, hujus solius virtute, in spiritualibus liberè *operatur*, & sic à Deo renovatur, ut & *indies*, motus per gratiosum influxum superioris, *renovet* se ipsum, cum non possit seipsum vel *convertere* vel *regenerare*, s. *justificare* vid. 2. Tim. 2. 19. 21. Apparet in dedecifio I.

casio I. & liberam cooperationem s. rectius operationem propriè loquendo, conversionis Objecto s. homini demum tribuendam in signo tertio.

§. 17. II. In conversione strictè sic dictâ, homo non solum, *dolorem* de admittis, *cogitare*, & *velle* bonum spirituale, *credere* s. *cogitationem*, *voluntatem bonam*, & *fidem justificantem*, per gratiam S. Spiritus, partim *legaliter*, partim *Evangelicè* operantis & tum illa dona, dum horum *receptivitatem* s. facultatem introducentis recipit: sed & verè *dolet*, verè *pœnitet*, verè & jam liberè bonum spirituale *cogitat*, fiducialiter assentitur, & sic credit in quo instanti, dum credit, *justificatur*, justificatus autem, & iam plenè conversus, velut *arbor bona*, *bonos profert fructus* & sic Evangelicè ac legaliter bona, opera operatur. Constat inde decisio 2. Scilicet consensus utrinque est, & voluntatem humanam liberè operari in suppositione conversionis tertiâ resp. renovationis & sanctificationis, & non liberam esse, nec cooperari in conversione, quam vocant, primâ s. suppositione conversionis I. ante instans introductæ fidei: supponunt enim voluntatem jam excitatam, & à Domino præparatam. Consensus quoque est hominem cogitare, velle, credere, & non irresistibiliter, bonum spirituale velle s. credere, sic, ut non possit non credere: sed liberè quidem & credere & non credere, sic tamen ut cum per naturam s. vires naturales possit etiam tunc non credere, contradicere, Spiritui S. moventi & trahenti resistere: non nisi à gratiâ excitatus & adjutus novaque facultate & libertate circa bonum spirituale donatus & ad eò solis viribus gratiæ possit liberè credere, s. bonum spirituale *cogitare*, *velle*, *amplecti*.

§. 18. His abstractis, apparet facilè, sententiam superiorem, quæ supposito *arbitrio excitato*, & *viribus gratiæ*, unice *per has*, voluntatem statuit liberè gratiæ ad progressum & consumationem

tionem conversionis resp. Dei activæ resp. hominis passiva supra appellatæ, ac ipso pœnitentiæ circulo terminatæ, cooperantem à Synergistarum (quippe, qui naturalem, & præveniente saltem gratiâ, *ex propriis natura viribus*, in ipso statim primo conversionis instantunt statuit arbitrii cooperationē) errore immunē, in illam resolvi vocabularem & sive Grammaticam sive Philosophicam quæstionem, an respectu *illorum motuum s. actuum* (Philosophicè loquendo) *elicitorum*, quales sunt, (bonum spirituale) *cogitare, intelligere, velle, apprehendere s. recipere*, homo rectè dicatur *operari*, ut quàm verè homo in conversione dicitur *c. c. dolere, credere, assentiri, promissiones recipere s. apprehendere*, tam verè etiam dici possit *operari*? Et iterum an, quando Deo unicè operante *Tò velle vel credere*, homo jam vult, jam credit, hic rectius dicatur DEO operanti *cooperari*, an ipse, DEO s. gratiâ hætenus operante, nunc unicè, producendo tales actus *c. c. velle, credere, cooperante, operari*? Cum actus illi elicitum Philosophis appellentur & *πάθηματα s. passiones*, & mentis *opera s. operationes*, & negare haut liceat, quin, quemadmodum admissio speciei coloratæ in oculos, rei sonoræ in aures, specierum intelligibilium, in intellectum, passiones sint (unde & Aristoteli intellectus diverso respectu non solum *agens* sed & *patiens s. πάθητος*) sic *contritio* quoq; non sit actus ab homine elicited: sed passio quædam dolorosa per legis prædicationem excitata, & ipsa *fides* proprie loquendo *non opus hominis: sed Dei* per præconium Evangelii intellectum illuminantis, voluntatem ad appetendum & apprehendendum Mediatorem trahentis, rectificantis, constabit facile hætenus termini improprietatē acusandā, sc. propterea, quod *Tò velle, Tò credere* actus dici possunt, & homo illo ipso, quo vult, quo credit, & quidē ex suppositâ novâ facultate, liberè vult, credit, non satis accuratè, hominem dici *Operantem*, nedum *Deo*

cooperantem in conversione (strictè sic dictâ s. suppositione vocis  
1. & 2. sed demum in conversione latè sic dictâ s. suppositione vo-  
cis 3. & ipsâ quidem regeneratione (seu remissione peccatorum.)  
jam suppositâ, & adeò nonnisi in momento post justificationem  
in ipsâ renovatione s. sanctificatione.

§. 19. Apparebit illud ex collatione tum Synergismi gra-  
tiae gratis datae (quam vocant) tum gratiae gratum facientis s.  
gratiae sanctificationis. In illo s. Synergismo Apostolico, verè  
proprieque loquendo, & DEUS operatur & e. c. Paulus secundum  
gratiam sibi datam vel, ut administrator Dei operatur. Paulus dum  
plantat, dum rigat, dum, ut prudens architectus solidum fundamen-  
tum collocat & aurum, argentum lapides pretiosos super aedificat, dum  
non cauponatur sermonem Dei: sed ut ex sinceritate, ut ex Deo, ut in  
conspetu Dei, Christum prædicat: DEUS, dum vim crescendi dat, dum facit  
ut Paulus semper triumphet in Christo, & odorem cognitionis JESU  
quobis in loco manifestum faciat, & sic verè per gratiam Dei Paulus  
operatur, imò, cum operentur etiam alii Apostoli, Paulus, am-  
plius, quàm cæteri omnes laborat (et si comparativè & respectu  
principii quia neque is qui plantat est aliquid, neque is qui rigat: sed  
Deus qui crescendi vim dat, non Paulus; sed gratia Dei qua cum  
Paulo est, Conf. 1. Cor. 3. 6. 7. 9. 10. 11. 12. c. 15. 10. 11. 2. Cor. 2. 14.  
17. Unde & rectè dicitur Paulus (eadè ratio aliorum Apostolorum)  
cooperari Deo: 1. Cor. 3. 9. 2. Cor. 6. 1. & Deus cooperari Paulo Marci 16.  
20. & iterum Apostolo cooperari Apostolo velut unus, τὸν κερπάντων  
λόγῳ & διδασκαλίᾳ alteri κερπάντι 1. Cor. 16. 16. Rom. 16. 3. 21. Philip.  
2. 25. c. 4. 3.

§. 20. Ita in articulo renovationis quia homo regnitus  
nō solum est subjectum renovationis: sed & verè causa (et si secundaria  
concurrentes ad sui renovationem, sic ut bona opera sint effectus  
ipsius quoque regniti, ut sua causa, proinde & proprie loquendo  
homo regnitus bonum opus operatur Matth. 26. 10. Act. 10. 3  
Ro

Rom. 2. 10. Gal. 6. 10. Ephes. 6. 13. & Deus quoque qui *est incipit*  
*in nobis opus bonum & perficit ad usque diem Jesu Christi* Philip. 1. 6.  
operatur, & quidē sic, ut in comparatione, DEUS, cujus unius vir-  
tute facit homo bonum opus, rectius dicatur homini operanti  
cooperari (ut sic gratiam in conversione *operantem*, sequatur  
nunc gradus gratiæ *cooperantis*) quam homo regenitus Deo  
operanti cooperari. Joh. 15. 4. 5. & nihilominus reverā Deus  
cooperans operetur, & non solum in articulo regenerationis:  
sed & renovationis valeat illud Salvatoris: *sine me nihil potestis fa-*  
*cere*, & alterum Apostoli: *Deus est qui operatur* ὁ ἐνεργῶν *in vobis*  
*& velle & perficere* (s. ipsum operari, vel agere, τὸ ἐνεργῆναι) Philip.  
2. 13. Ita sc. hīc quoque Deus est ὁ ἐνεργῶν τὸ ἐνεργῆναι s. is qui operatur  
ipsum nostrum operari, & quidem ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας αὐτοῦ s. pro gra-  
tuitā benevolentia sua. Ceterum in ipsis instantibus conversio-  
nis activæ & passivæ, cujus Diameter est ipsa gratia receptivitas,  
perimeter regeneratio s. justificatio, homo qui convertitur est  
quidem subjectum denominationis s. is qui (bonum spirituale  
nō κρείσσον (non ἀνεργῶντος: sed μόνον) ἐνεργῶντος vult, credit: sed nul-  
lo modo causa nō velle credere s. qui operetur & producat bonam  
voluntatem, fidem & ad eō sine subordinatione causæ objectivæ  
solus Deus hīc operatur & velle & perficere, sic ut excellentiori et-  
iā causandi modo (contrā quam visū olim nō Massiliensibus solum  
sed ipsi quoq. AUGUSTINO DEO competat productio fidei in articulo  
conversionis, quā boni operis in articulo renovationis: quia ibi Deo  
agit sine causā secundariā concurrente & cooperante: hīc mediante cau-  
sā secundariā verē concurrente, & operante, postquam sc. Deus fuit  
ἐνεργῶν τὸ ἐνεργῆναι s. operatus est hujus operari, & fecit, ut facere-  
mus, cum in conversione non faciat, ut nos producamus fidem:  
sed hīc solus Deus operetur & velle, & ipsum ἐνεργῆναι s. perficere.  
§. 21. Si tamen terminus operandi, faciendi, generaliter  
sumitur, etiam de illis actibus, qui non sunt veræ nostræ actiones:  
Dd 3 sed

nihil obstat, ipsū quoq; hominē, suppositā gratiā, dum huj9 unius virtute cogitat bonū spirituale, huic assentitur, hoc amplectitur s. credit, dici in conversione sui passivā, Deo s. gratiæ hætenus unice operanti, cooperari, vel poti9 hoc ipso quo credit, Deo cooperante, facultatemq; credendi pariter ac ipsam fidē donante, operari: cum nec scriptura refugiat tales modos loquendi. Sanè ὁ ἐργαζόμενος ὀπποῖται τῷ πιστεύοντι, velut μὴ ἐργαζόμενος Romi 4. 4. 5. Ceterum, si quis id opponeret, fallaciam dictionis ὁ ἀδικοῦ secundum quid, committeret: cum ibi ἐργαζόμενος talis sit, qualis non fuit Abraham, qui certè plurimis operibus jam tunc fuit conspicuus, quando ex solā imputata fide in justitiā proclamatus est iustus Gen. XV. 6. atque adeo ἐργαζόμενος ibi est ὁ ἐργῶν δικαιοθεῖς vel opera faciens cum præsumptione obtinenda inde justitiæ coram Deo, quomodo omnis credens, et si alioquin excellenter ἐργαζόμενος, est μὴ ἐργαζόμενος.

S. 22. Reperitur tamen dictum de regenito: μακάριος ἔν τῇ πίσει αὐτοῦ, & ipse regenitus, in emblemate contemplatoris in speculo, dictus non qualis ille inanis speculator, ἀχροατῆς Ἰππλησμοῦνς: sed πιστῆς ἔργου: quæ πίσει qualis sit ostendit, quod immediate præcedit sc. ἐπισκοπεῖν s. introspicere in Evangelium, velut perfectam legem libertatis Jacob. 1. 25. in illam sc. legem libertatis, ex quâ habetur promissa corona vitæ c. 1. 12. quæ est sermo veritatis, instrumentum gratuita nostræ regenerationis, adoptionis, ut essemus primitiæ creaturarum Dei c. 1. 18. qui est λόγος ἔμφωτος, s. sermo insititius, & talis, qui potest servare animas nostras v. 21. Ita credens dicitur καταργεῖν τὴν σωματικὴν s. operari vel conficere salutem cum timore & tremore, Philip. 2. 12. Et Servator Capernaitis quærentibus, quid sibi faciendum, ut operentur opera Dei? audiunt sibi responderi: Hoc est opus Dei, ut credatis. Joh. 6. 29. dixerat autem, Idemque expresserat paulò ante Servator his verbis: Operamini

*non cibum, qui perit: sed cibum qui permanet in vitam aeternam, quare  
Filius hominis vobis dabit. Hunc enim, Deus Pater obsignavit. velut  
impresso sigillo per vocem cœlestem, per miracula, per præco-  
nium & unctionem autorem cibi spiritualis designavit: vid.  
ibid. v. 27.*

§. 23. Ita homo dum de peccatis dolet, dum bonum spiri-  
tuale intelligit, vult, amplectitur, & adeo dum supposita excitante  
gratiâ, credit, generaliter accepto vocabulo, operatur, vel agit:  
sed non operatur ipsum dolere, ipsum intelligere, velle, amplecti  
bonum spirituale, non agit aliquid ad ipsum velle, ad ipsum cre-  
dere, prout e. c. in articulo sanctificationis operatur carnis mor-  
tificationem, crucifixionem, mundanarum concupiscentiarum  
abnegationem. Et quia non homo: sed solus Deus operatur illud  
velle, illud credere. E. nec liberè homo sive cooperatur sive operatur  
producendo illud velle, vel credere: sed solus DEUS per grati-  
am unicè operantem ἐνεργεῖ καὶ τὸ θέλει, καὶ τὸ ἐνεργεῖν, & illud ad-  
eò credere in Christum sic est χεῖρμα τὸ χεῖροθεν ὑπὲρ χεῖρῶ  
Philip. I. 29. ut excludat in sui productione omnem hominis  
cooperationem, quippe qualis cooperatio productiva boni operis  
s. actus, motus spiritualis, supponit & fidem & justificationem, ac  
pertinet ad renovationem, quo respectu sententia supra alteri  
illi controversæ opposita, & verior est, & accuratior.

§. 24. Quocirca simpliciter improbandæ sunt propositiones  
illæ: *In potestate hominis est velle se convertere vel non convertere.  
Homo, si vult, potest se convertere.* Licet enim certum sit hominem,  
prout in primo momento conversionis naturaliter & vel morosè re-  
luctatur, ita deinceps quoq; in singulis momentis conversionis, re-  
luctari posse, & tamē (qui solis gratiæ prævenientis, preparantis,  
excitantis operantis effectus est) ut conversio perficiatur, requiri, ut  
homo Deo reparationē ejus aggredienti, continuanti, consumman-  
ti, actu secundo continuato nō morosè reluctetur (cū in omnib;  
il-



illis, qui contumaciter & perseveranter Spiritui S. reluctantur, prout nec fit, nec ordinariè fieri potest per Spiritum S. intellectus voluntatis & cordis, mutatio: ita nec fiat, nec fieri possit *ulla conversio, nec Spiritus S. detur perseveranter repugnantibus*) & adeò in ipsà conversione, nò obstante gratià excitante, operante, hominè ubique & repugnare per naturam in sensu diviso posse, & tamen (per operationem Spiritus S.) actu non repugnare: sed oblatam gratiam apprehendere & tum demum conversionem perfici s. consumari, si non morosè reluctetur: sed apprehendat oblatam gratiam: tamen exinde non fluunt superiores propositiones, velut harum præmissarum conclusiones.

S. 25. Nec si exponenda illæ sint ex exponibilium lege, parient tales expositiones, sc. *Hominem in ipsis conversionis instantibus & ubique posse morosè reluctari per naturam, & posse non reluctari per gratiam, posse nolle & sic non converti: posse (per gratiam) velle, & sic per gratiam factum ex nolente volentem converti: quin potius juxta qualitatem terminorum (unde, non autem ex reservationibus mentalibus, judicandū, de æquipollentiã exponentium & expositarum, cum nec, juxta interpretationis legem, conceptus s. *περὶ ἡμετέρας* sint *symbola verborum*: sed verba s. *τὰ ἐν τῷ φωνῆ* *symbola conceptuum* rectè monente Philol. l. 1. w. é.) & & capacitatem in spiritualibus, non solùm passivam: sed & activã, libertatem, bonæ voluntatis naturalem facultatem, imò ipsam bonam voluntatem ante conversionem supponunt, & hanc ab illis suspendunt, ut sic Deus in conversione non ex nolentibus volentes faciat & facultatem boni spiritualis introducat: sed facultatem pariter & voluntatem bonam in ipso homine inveniãt, ex quã non tam Deus, quàm homo seipsum convertat, quæ crassissimè Pelagiana, Autoribus quidem talium formularum s. qui his nostrã ætate sunt usi, imputanda nequaquã sunt; reverà tamen*

tamen ex formâ superiorum propositionum (cum nec aliud, nec plus, nec minus, dari debeat in exponentibus, quàm fuit in exponendis) fluunt, de quibus ad eò tantò magis valet quod graviter de propositionibus s. dictis quorundam Patrum, e. c. *Trahit Deus: sed volentem trahit: tantùm velis & Deus praecurrit: Hominis voluntas in conversione non est otiosa: sed agit aliquid*, bis, & in Epitom. p. 582. & in Declaratione monuit Form. Conc. p. 680. sc. illas, *tanquam doctrinae de solâ gratiâ totam hominis conversionem operante prejudicantes, & falsam de naturali libero arbitrio, viribus humani arbitrii in hominis conversione opinionem confirmantes, & ad eò formæ sanorum verborum repugnantes, in articulo conversionis vitandas esse, quantò his illæ longè crassiores & intolerabiliores sunt.*

§. 26. Occurrunt sanè passim in scripturis Imperativi divini e. c. *וַיִּצְוֵנוּ* i. e. *FACITE* *judicium & justitiam* Jerem. 22. 3. 45. 9. *benignitatem & misericordiam* Sach. 7. 9. imò &: *Facite vobis cor novum, & spiritum novum* Ezech. 18. 31. & ibid. v. 30. 32. *Revertimini, & avertite vos ab omnibus defectioibus vestris: avertite vos & vivite!* Caterùm partim respiciunt illi referendiq; ad eò sunt, ad articulum renovationis, vel ad conversionem latè sic dictam resp. renovationis, unde & imperativus: *facite vobis cor novum!* supponit priorem: *Revertimini*, item: *Avertite vos ab omnibus pravaricationibus vestris*, partim ad ipsam conversionem quoque strictè dictam, sicut non probent hominis in ipsâ conversione, sive ex viribus propriis sive novis infusis, synergismum: sed *sint gratiæ prevenientis, & excitantis instrumentum, & præparationis & excitationis divinæ medium, per quod præparatur & excitatur homo, non ad spiritualem in ipsâ conversione cooperationem: sed ad obstaculi conversionis s. peccatorum regnantium, contradictionis, blasphemix o-*

Ee

mnisq;

mnisque morosæ reluctationis hæcenus oppositæ actualẽ remotionem, quam, cum præveniente gratiã possit homo & præstare & non præstare, dum nunc operante gratiã, actu præstat, & ad eò avertit se ab iniquitate, nec blasphemè contradicit, nec morosè resistit, nondum quidem desit ponere cor lapideum, & cœpit sumere cor carneum, quod nec ipse sibi facere potest, qui licet non ampliùs morosè & affectatè, tamen naturaliter adhuc resistit, illo tamen ordine incedit, quem Conversio prærequirit, sic ut non abjectã, per affectatam talem repugnantiam, gratiã primã, D E U S jam ex naturaliter adhuc cœco, nolente, repugnante, faciat illuminando intelligentem, volentem, & sic superatã illius resistentiã removeat cor lapideum, & donet cor carneum. Unde idem qui dicit: *Facite vobis!* alibi & bis in eodem Prophetã: *Ego, inquit, amovebo cor lapideum è carne vestrà, & indam vobis cor carneum. Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri: quo faciam ut in statutis meis ambuletis, & jura mea observetis facientes ea.* Conf. Ezech. XI. 18. 19. 20. c. 36. 26. 27.

§. 27. Notetur ex his inter alias illa phrasis S. Spiritus, in quã, iterũ iterumq; contra Pelagianos ad eò triumphat Augustinus: *וַעֲשִׂיתִי וְעָשִׂיתָ* i. e. *Ego, ait Deus, faciam, ut faciatis.* Scilicet homo quidem facit; sed Deus facit ut faciatis (homo). Ita in conversione homo quidem contristatur, intelligit, vult, credit, respiscit respicientiã ad salutem, cujus nunquam pœniteat, & ita (termino *πυχλῶς* sumto) aliquid operis spiritualis facit, vel edit. At quæritur, quis hominem faciat facere? quis faciat velle, credere, se avertere ab iniquitate, respiscere? Respondet Deus, *Ego FACIAM, ut vos faciatis.* Et homo quidem credit: sed solus Deus credere facit, sic ut hîc gratia propriè loquendo non sit cooperans: sed unicè operans, & ad eò non detur hîc causa sive prima sive

ma sive *secundaria cooperans*: sed *gratia unice causa operans*, & homo objectum, gratiæ operantis operationem recipiens, & sic ex *volente factus volens*, ex *infideli credens*, ex *impœnitente resipiscens*. Ita in articulo *renovationis*, homo propriè etiam *facit, operatur*, unde & effectus hic est non *fides justificans*: sed *bona opera*, quæ sic facit, ut non solùm sit subjectum denominationis: sed & causa *secundaria* producens illa, atque adeò homo non solùm *novus, iustus, sanctus*: sed & *operans novitatem, iustitiam, sanctitatem* (quomodo non facit, vel operatur fidem, vel bonam voluntatem) At quis facit, ut homo faciat illa? An verò ipse homo virtute quadam naturali propriâ? Minimè verò. Valet hic eadem vox DEI: EGO FACIAM ut FACIATIS. Et homo quidem non solùm renovatur: sed & renovat seipsum, & sic propriiissimè facit: sed Deus per influxum gratiosum movens, *facit, ut homo faciat*. Licet autem magnus AUGUSTINUS, etsi acerrimus Gratia propugnator, illud Dei apud Prophetam dictum æquè usurpet de articulo & *conversionis, & renovationis*, imò magis de illo, sic ut non solùm *ad fidei incrementum*: sed & *ad primum fidei cœptum referat* (quod pro sententiâ controversâ & superioribus thesibus expositâ facit, quæ voluntatem hominis excitatam in ipsâ conversione seu ad hujus progressum & consumationem cooperantem statuit) certum tamen est Prophetam in his verbis, conversione jam suppositâ, loqui de renovatione vid. Ezech. 36. 27. Apparet nihilominus inde, Augustinum in ipsâ voce *faciendi, vel operandi*, supposito Catholicismo gratiæ, non agnovisse signum contradictionis.

§. 28. Ita conversio hominis, nunc à parte hominis passivè exprimitur e. c. Jerem. 3. 12. 15. *Revertere aversa Israel! Revertimini filii averfantes!* nunc activè: *Avertite vos, & vivite!* Ezech. 18. 32. *agnosce iniquitatem tuam, te à Jehova Deo tuo defecisse*

Ee 2

Jerem.

Jerem. 3. 14. cæterùm in ordine ad Deum operantem, nulla hic sive operatio, sive cooperatio: sed prout solus Deus facit, ut convertendus non sequatur amplius sententiam animi sui malitatis, & solus facit vel operatur, ut sequatur sententiam Spiritus trahentis, & adeò, ut velit, credat & convertatur, imò ut clamet A B B A vel, *mi Pater!* conf. Jer. 3. 19. 20. ut sic illa conversio, propriè & strictè sic dicta, respectu ipsius hominis passiva sit, prout respectu Dei activa, & ubi uterque respectus copulatur, ibi operatio omnis Deo in solidum relinquatur e. c. Deus clamat: *Revertimini, vel Avertite vos!* Ephraim clamat: *converte me DOMINE* (activè) *UT CONVERTAR* (passivè) Jerem. 31. 18. & Propheta totius populi nomine: *CONVERTE NOS DOMINE, UT CONVERTAMUR!* Thren. 5. 21. & adeò, quibuscunque vocabulis, vel actuum spiritualium terminis conversio exprimitur à parte hominis, non activè: sed tantùm passivè habeat, ipsaque voluntas propriè loquendo *non operetur*, nedum Deo operanti *cooperetur*: vid. Jer. 3. 18. 19.

§. 29. Nec aliud lib. de Prædest. Sanct. intendit Augustinus probare, quàm quod *tam fides cœpta, quàm fides aucta, tam inchoata, quàm perfecta donum Dei sit*, non, aucta, merces cœptæ, sic ut *meritum fidei* misericordiam DEI præveniat, & hæc illi tribuatur. De cætero liberalissimè & sic in controversiâ versatur, ut, modò relinquatur soli Deo *facere ut homo faciat*, huic tam in ipsâ *fidei productione* s. *conversione*, quàm *renovatione*, tò *facere* concedat, & nunc Pontificiorum hodiernorum, nunc Calvinianorum litus iniquum premat. *Sicut*, inquit, *quamvis Dei donum sit, facta carnis mortificare*, exigitur tamen à nobis *proposito premio vite: ita donum Dei est & fides*, quamvis & ipsa, cum dicitur: *Si credideris, salvus eris!* *proposito premio salutis* exigatur à nobis. Ideò enim hæc, & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut in-

telli-

telligatur, quod & nos ea FACIAMUS, & Deus FACIT ut illa FACIAMUS c. XI. & ibidem cap. 3. Utrumq; & credere & operari bonum nostrum est, propter arbitrium voluntatis: & utrumque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis. & cap. 7. Ex fide ideo dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur cetera, que propriè opera vocantur, in quibus justè vivitur: & c. 8. gratiam secretam s. quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuatur, eandemque & particularem & irresistibilem, unde à nullo duro corde respuatur, defendit, & abit in illud absurdum, simile de ludimagistro, explicaturus universales illas divinas e. c. quod Deus velit omnes homines per Christum salvari, omnes ad Filium venire: Sicut, inquit, integrè loquimur, cum de aliquo literarum Magistro, qui in civitate solus est, dicimus: Omnes iste hæc literas docet, non quia omnes discunt: sed quia nemo, nisi ab illo, discit, quicumque ibi literas discit: ita rectè dicimus: Omnes Deus docet venire ad Christum, non quia omnes veniunt: sed quia nemo, qui venit, aliter venit: atque sic illud axioma Paulinum universale explicat de solis illis, qui salvi fiunt, ac si Deus non alios voluisset unquam salvos fieri, quàm qui actu salvantur. Si, inquit, & ceteros, quibus stultitia est verbum crucis, ut venirent, docere voluisset, venirent & ipsi. Scilicet infert Augustinus: Non veniunt. E. Deus illos venire s. ut venirent docere non voluit. Non salvantur. E. Deus illos non voluit salvos fieri. Quæ autem ratio illationis? quia sc. teste Christo Joh. 6. 45. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad Christum. E. qui non venit, non audivit & didicit. E. qui non audiunt nec discunt, propterea non audiunt nec discunt, quia Deus voluit illos non audire & discere s. noluit illos docere. Probat iterum, quia Deus convertens facit ex nolentibus volentes. Et Deus quem vult, miseratur, quem vult indurat. Ita Augustinus, ex quibus duæ posteriores illationes alibi contra Calvinianos excutuntur.

§. 30. Omnium optumè, post sacras literas, hic loquitur Formula Concordiæ. Leguntur quidem p. 674. in solidâ declarat. hæc verba: *Quamprimùm Spiritus S. per verbum & sacramenta opus suum regenerationis in nobis inchoavit, tunc reverà per virtutem Spiritus S. cooperari possumus & debemus.* Et si quidem in abstracto, vel de externâ pœdagogîâ quærat, concedit homini *liberum arbitrium*, illo sensu, quo Patres intellexerunt *Capacitatem passivam*, quod sc. ad bonum verti possit per gratiam Dei, & fieri reverà liberum: concedit homini locomotivam potentiam s. externa membra regendi, ad cœtus publicos ecclesiasticos accedendi, Evangelium audiendi, aliquomodo meditando, si autem ( prout fieri fas est ) in concreto, de hominis nondum renati facultate & voluntate s. libertate relatâ sc. ad bonum strictè spirituale, tunc non solum negat talem libertatem: sed & ponit in non regenito rebellionem, per quam trunco sit deterior, quin porrò, post gratiam, agnoscit quidem convertendo excitari novos motus, & in ipsâ conversione inchoari spirituales operationes, sic tamen, ut *tota conversio omninò solius DEI opus sit, qui eam, virtute & potentiâ suâ per verbum ( in intellectu corde, & voluntate hominis, tanquam in subjecto patiente, ubi Homo NIHIL AGIT AUT OPERATUR: sed TANTUM PATI-TUR )* efficiat, atque OPERETUR. Unde & superiores voces quomodo velit intellectas, ipsa statim explicat sc. Hoc sic & non aliter intelligendum est, *HOMINEM JAM CONVERSUM tantum actamdiu benè OPERARI, quantum & quamdiu à Deo per Spiritum S. ducitur, regitur atque gubernatur.* & p. 673. *Quando homo jam est conversus & illuminatus, ejusq; VOLUNTAS RENOVATA, tunc homo VULT bonum, & in posterum bonum OPERATUR. Homo conversus sponte bonum OPERATUR.* Apparet inde quo sensu usurpata su-

pra

pra vox *regenerationis* sc. ut exegeticum sit, quod immediatè sequitur, vocabulum *renovationis*, quod & ex verbis quæ sequuntur p. 675. In *hac vitâ regeneratio nondum est absoluta: sed in nobis tantum modò inchoata* (quale quid non dicere licet de justificatione) & ex illis, quæ de usu termini in Apologiâ C. A. & Form. Concord. supra notavimus, constare poterit.

§. 31. Quæsitum, an rectè in articulo Conversionis dicatur: *Tres esse causas bonæ vel spiritualis actionis. Verbum Dei. 2. Spiritum S. 3. voluntatem humanam?* Ita scripserat Chemnitius, in Locis Theol. tit. de vir. hum. p. 186. & seipsum explicuerat. Scilicet supponit voluntatem jam liberatam, jam vivificatam per Spiritum S. & adeò intelligendus est de conversione latè sumtâ, in respectu ad renovationem, quod adeò non magis in aliis Theologis, eodem sensu conciliandis, quàm in Chemnitio fuit improbandum. Ceterùm, quia in ipsâ F. C. hoc quæsitum, est expeditum, nunc eò lectorem remittimus, vid. in solida declaratione p. 681. Si enim de *conversione strictè dictâ* quæritur, sincerè eadem F. C. in Epitomâ: *Relinquuntur, inquit, dua tantum causa efficientes ad conversionem efficaces, nim. Spiritus S. & verbum Dei, quod est instrumentum Spiritus S. quo conversionem hominis efficit. Hoc verbum homo audire debet: sed ut illud verâ fide amplectatur, SOLA gratiâ Dei & OPERATIONE spiritus S. obtineri potest.* Porrò distinctio illa *conversionis* biblica est conf. Jerem. 31. 19 *Postquam conversus fuero, pœnitebit me.* Ubi conversio ante pœnitentiam non potest non supponere pro conversione activâ, prout pœnitentia effectus conversionis pro conversione passivâ.

§. 32. Quæsitum occasione loci 1. Cor. 9. 27. an Apostolus *ipse dubitaverit de sui electione & salute?* Et siquidem sic quæstio formetur, simpliciter negatur. Alia quæstio, qualis fuerit


rit





fit illa certitudo Paulina, ubi rectè respondetur, fuisse (1) &  
 objectivè & subjectivè infallibilem, (2) etli (non absolutam:  
 sed) hypotheticam. Primum constat ex *παρηγοία* Pauli Rom. 8. 31.  
 32. 33. 34. (unde probatur certitudo objectiva) & 38. 39. (unde  
 probatur certitudo subjectiva) secundum ex loco præsentis  
 1. Cor. 9. 27 unde & inter causas *separantes* Rom. 8. v. 35. 38. 39.  
 non memoratur *peccatum*, quod omninò, *ἐὶ δυνάτιν*, ut in illo  
 finaliter perseveraret Paulus, etiam futurum fuisset *מכריח* s.  
*distinguens inter Deum & Paulum* Jel. 59. 2. sic ut Paulus prædi-  
 cans, non ambulandum secundum carnem: sed secundum spiritum,  
 ad instar *validissimorum & ingeniosorum luctatorum*, non *aeræ ce-*  
*dendum*: sed prout in certaminibus, *pugiles*, Antagonistam sive  
 in humum deiciendo, *supplantabant*, sive notam insignem faci-  
 ei infligendo, *sugillabant* (quod est *ὑπωπιάζειν* s. *divore vel sangui-*  
*nis nota oculos sugillare*) ita corpus peccati *sugillandum esse prædi-*  
*cans*, & ipse non *sugillans* s. non *ὑπωπιάζων καὶ δουλαγωγῶν*, post  
 longa præconia (*κηρύξας* i. e. *Ubi jam diu satis prædicasset* talem  
 carnis mortificationem) nihil sibi ipsi longo illo præconio  
 mercaturus fuisset, nisi ut *ἀδόκιμος ἐργάτης* s. non probatus: sed  
 rejectaneus operarius audiret, planèq; ex grege clamantium:  
 DOMINE, DOMINE! nonne in nomine tuo prophetavimus, demonia  
 ejecimus, virtutes edidimus? sed & audiret illud epos tri-  
 ste: NUNQUAM NOVI VOS. DISCEDITE! Matth.  
 7. 22. 23. Cæterum, ne tale quid experiretur, erat *ὑπωπιάζων*  
*καὶ δουλαγωγῶν*, nec dubitabat, quin, qui in se inceperat opus  
 bonum, perfecturus idem esset usque ad diem DOMINI  
 nostri JESU CHRISTI. Phil. I. 6. Ita ex loco præsentis, nihil  
 pro dubitatione Paulinâ de perseverantiâ & gloriâ

*ἵπερ ἔδει δεῖξαι.*









telligatur, quod & nos ea FACIAMUS, & Deus FACIT u  
 MUS c.XI. & ibidem cap 3. Utrumq; & credere & opera  
 strum est, propter arbitrium voluntatis: & utrumque ta  
 est per spiritum fidei & charitatis. & cap. 7. Ex fide ide  
 cari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur,  
 trantur cetera, que propriè opera vocantur, in quibus iust  
 c.8. gratiam secretam s. que occultè humanis cordibus di  
 tribuatur, eandemque & particularem & irresistibil  
 à nullo duro corde respuat, defendit, & abit in illud  
 simile de ludimagistro, explicaturus universales illa  
 quod Deus velit omnes homines per Christum salvari, om  
 um venire: Sicut, inquit, integrè loquimur, cum de  
 rum Magistro, qui in civitate solus est, dicimus: Omne  
 ras docet, non quia omnes discunt: sed quia nemo, nisi  
 quicumque ibi literas discit: ita rectè dicimus: Omne  
 venire ad Christum, non quia omnes veniunt: sed qu  
 venit, aliter venit: atque sic illud axioma Paulinu  
 explicat de solis illis, qui salvi fiunt, ac si Deus no  
 isset unquam salvos fieri, quàm qui actu salvantur  
 & ceteros, quibus stultitia est verbum crucis, ut venire  
 luisset, venirent & ipsi. Scilicet infert Augustinus: 2  
 Deus illos venire s. ut venirent docere non voluit. Non  
 Deus illos non voluit salvos fieri. Quæ autem ratio illa  
 sc. teste Christo Joh. 6. 45. Omnis qui audit à Patre  
 nit ad Christum. E. qui non venit, non audit & didicit  
 diunt nec discunt, propterea non audiunt nec discunt,  
 luit illos non audire & discere s. noluit illos docere. Pr  
 quia Deus convertens facit ex nolentibus volentes. E  
 vult, miseratur, quem vult indurat. Ita Augustin  
 duæ posteriores collationes alibi contra Calvinia  
 tur.

